



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. XIII. Qua ratione fides post lapsum Adæ fuerit omni tempore ad
iustificationem neceßaria?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

Gal. 5. atque ita mortua. Et ob has causas ad Galat. 5. fides dicitur operari per caritatem. Demum caritas omnia sustinendo aduersa, & animam fortiter Deo vniendo, efficit vt virtutes fortius in anima radiceantur & constantius permanant: atque hac ratione est etiam fundamentum & radix omnium virtutum, & in ea dicimur fundari & radicari, vt dicitur ad Ephes. 5. Adde, alia ratione omnes virtutes dici radicari & fundari in caritate, quatenus omnes virtutes morales supernaturales, vnâ cum caritate animæ infunduntur, & cum eadem tolluntur. Et D. Thomas. ob hanc causam S. Thomas 2. 2. q. 4. art. 7. docet, caritatem connectere fidem cum reliquis adificij partibus, siue virtutibus, & illam siue hac non habere completam rationem fundamenti.

D V B I V M VIII.

Qua ratione fides post lapsum Adæ fuerit omni tempore ad iustificationem necessaria?

90 **N**Ota, cum hic agamus de necessitate fidei ad iustificationem à peccato, hanc questionem solum habere locum in tempore quod lapsum Adæ fuit seculum: quia antè nulli erant qui à peccato poterant resurgere. qua ratione autem Adamo in paradiso & angelis fides fuerit necessaria, agam disp. 17. dub. 1.

Fides dupliciter potest esse supernaturalem. Nota Secundò, tam fidem quam aliam cognitionem dupliciter potest esse supernaturalem. Primò, solum ex parte obiecti, quia scilicet hoc sine diuina reuelatione nequit cognosci. Secundò, ex parte principij, quatenus elicitur ex principio supernaturali, nec potest viribus naturæ elici.

91 **N**ota Tertiò, dupliciter aliquid dici necessarium. Primò, necessitate medijs, siue quo iustitia obtineri omnino non potest, saltem secundum Dei legem ordinariam. qua ratione aliqua prænitentia saltem virtualis est necessaria ad remissionem omnis peccati actualis. Secundò, solum necessitate præcepti, siue adultis secundum aliquos baptisimus actu susceptus est necessarius ad iustificationem: quam tamen per contritionem obtinere potest is qui baptizari nequit. Sicut autem inuincibilis ignorantia aut impotentia excusat ab obligatione præcepti, sic etiam hanc necessitatem tollit, ita saltem vt non noceat non ponenti rem præceptam. Secus est de priore necessitate, quam nulla impotentia aut ignorantia tollit, vt patet in paruulis, qui extra casum martyrij, siue baptismo etiam in casu, quo ille tam ijs, quam parentibus omnino impossibilis est, nullo modo saluari possunt.

92 **O**lim Manichæi, vt testatur D. Augustinus l. de Utilitate credendi c. 1. docuerunt nihil esse credendum quod non possit naturali lumine clarè demonstrari, atque ita volebant nullam fidem ex parte obiecti aut principij supernaturalem esse ad salutem necessariam. Cui errori aliqua ex parte non nihil aliquando fauit Soto, qui l. 2. de Natur. & gratia c. 2. in 1. edit. vt ipse in 2. edit. (in qua suam sententiam corrigi) testatur,

Coninck de act. supernat.

docuit fidem in lege naturæ non fuisse necessariam ad iustificationem, sed suffecisse naturalè de Deo cognitionem cum Dei præueniente gratia, qua voluntas ad contritionem excitaretur. Et videtur posse probari, quia per talè cognitionem potest homini sufficienter Deus obici vt amandus super omnia, & similiter peccatum vt Deo summè displicens, & ideo summè detestandum: ergo voluntas ea sola cognitione posita adiuncta Dei gratia potest Deum sufficienter amare, & peccatum detestari; & consequenter iustificari.

Secundò, Vega lib. 6. in Trident. c. 21. docet, ignorantem inuincibiliter quidquam nobis à Deo esse reuelatum, posse naturaliter cognoscere Deum super omnia amandum; & peccatum, quia ei displicet, detestandum; atque ita posse hoc detestari, & iustificari: nec videtur ad hoc ullam gratiam requirere. Atque ita docet fidem, ad iustificationem solum esse necessariam necessitate præcepti.

Probat Primò, quia Apostolus ad Rom. 2. cū dixisset, non auditores, sed factores legis iustificandos, ait: *Gentes qua legem non habent, naturaliter ea qua legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Vbi docet, Gentes, id est infideles, seruare omnem legem, & consequenter tanquam factores legis iustificari. Secundò, quia alijs qui inuincibiliter fidem nostram ignorant, non haberent sufficientia media ad salutem, & quantumuis bene viuendo conarentur salutem assequi, hæc tamè esset ijs omnino impossibilis, quod absurdum est. Quod autem aliqui dicunt, si tales, quantum in ipsis est, laborarent vt bene viuerent, ac omnia peccata vitaret, Deum procuraturum vt ad cognitionem fidei venirent; ait Vega sine fundamento dici, quia Deus non solet facere miracula.

Alij quidam apud Turrian. 2. 2. disp. 25. dub. 3. planè in alio extremo docent, fidem in eo, qui non habet cognitionem supernaturalem rerum fidei, esse ita necessariam ad eliciendum amorem Dei super omnia, aut contritionem, vt hæc actiones per nullam Dei potentiam possint ab illo sine fide præuia elici.

Probant Primò, quia Apostolus ad Hebr. 11. absolute dicit esse impossibile sine fide placere Deo: quod non videtur fore verum, si hoc solum esset impossibile ex Dei decreto, præsertim cum de hoc non cõstet nobis. Secundò, quia volitio supernaturalis essentialiter prærequirit cognitionem supernaturalem, & omnis cognitio naturalis est planè improporcionata ad volitionem supernaturalem: ergo, sicut per nullam potentiam fieri potest, vt quis velit rem omnino incognitam, ita fieri nequit, vt velit aliquid volitione supernaturali sola cognitione naturali cognitum. Tertiò, quia actus spei essentialiter prærequirit actum fidei supernaturalis: atqui ille actus est necessaria dispositio ad iustificationem, nec potest elici actus caritatis nisi actus spei aut præcedat aut sequatur (quia cū actus caritatis virtute includat propositum vitandi in posterum omnia peccata mortalia, necessariò excitat spem veniæ: ergo sine fide nequit haberi ex parte voluntatis dispositio necessaria ad iustificationem.

X 2

Maior

Maior prob. quia cum spes debeat esse firmissima, nequit ipsa nisi sola fide humana quæ incerta & infirma est, nec etiam potest nisi cognitione naturali euidenti, quia hæc de promissione Dei haberi nequit.

⁹⁵ **CONCLVS. I.** Fides fuit omnitemporale-
D. Thomas. dium ad salutem necessarium. Ita cum *D. Tho-*
ma 2. 2. q. 2. a. 3. communiter Theologi, & est om-
Bañez. nino certa, & ut ait *Bañez 2. 2. q. 2. ar. 8. dub. 1.*
Cantus. aut est de fide, aut fidei proxima. unde etiam
Hebr. 11. Causa relect. de Sacram. p. 2. q. 2. concl. 1. dicit
contrarium esse erroneum. Prob. ex Apostolo
ad *Hebr. 11.* ubi absolute docet, sine fide impos-
sibile esse placere Deo: & expresse loquitur etiam
de iis, qui vixerunt in lege natura: illud autem
foret falsum, si fides non esset medium necessa-
rium ad iustitiam, qua placemus Deo. quod patet,
quia quoties adesset inuincibilis ignorantia
terum fidei, posset quis sine ea placere Deo; at-
que ita hoc non esset impossibile. Similiter *Marci vlt.*
Iohan. 3. dicitur: *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et *Iohannis 3.* *Qui autem non crediderit, iam iudicatus est.* ubi Christus quasi rem omnino claram & indubitam docet, infidelem ita esse in statu damnationis, ac si de facto iam esset damnatus.

⁹⁶ Dices, hæc loca posse explicari de necessitate præcepti, atque ita ordinari & extra casum inuincibilis ignorantie habere locum; quia ibi etiam dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* & tamen baptismus solum videtur necessarius necessitate præcepti, quia quando hic impossibilis est, potest quis sine eo per contritionem saluari.

⁹⁷ Respondeo, quidquid sit de hac questione, an baptismus debeat dici necessarius necessitate mediæ, an solum præcepti (de qua satis egi tomo 1. de Sacramentis q. 68. a. 1. dub. 2.) magnam hac in re esse differentiam inter baptismum & fidem. Primum, quia cum sine fide non possimus hic cognoscere ea, quæ omnino decet hominem ad filiationem Dei, & æternam beatitudinem destinatum cognoscere, quæque non potest sine indecentia & inconuenientia ignorare; fides ex natura rei est medium aliquo modo necessarium ad iustificationem & salutem peccatoris; ita ut quamuis Deus absolute possit peccatorem sine fide iustificare & saluare, tamen id minus conuenienter fieret. Quod sic probo, quia hominem vrentem ratione non conuenit à peccatis iustificari, & in amicitiam Dei recipi, nisi hoc expectat, & de peccatis doleat, saltem virtualiter Deum super omnia amando: ad quod omnino necessarium est ut ipse prius cognoscat Deum esse summè bonum, & paratum eum in gratiam & amicitiam accipere: quod secundum sine reuelatione Dei nequit cognoscere.

⁹⁸ Dices, Etsi homo non possit naturaliter sine Dei reuelatione cognoscere Deum esse paratum eum in amicum & regni heredem accipere, potest tamen naturaliter cognoscere Deum esse summè bonum, & super omnia amandum, & saltem cum auxilio gratiæ eum ita amare, & consequenter poterit se conuenienter ad iusti-

ficationem disponere. Item poterit Deus ei clarè reuelare præcipua mysteria fidei: quo casu ipse ea sine proprie dicta fide clara cognitione à posteriore cognosceret esse vera, iuxta dicta disput. 9. dubio 8. & consequenter non indigebit fide ut se conuenienter disponat ad iustificationem.

⁹⁹ Respondeo negando utroque casu consequentiam. Quia iustificatio & assumptio hominis in filium Dei, est res omnino supernaturalis, ideoque ut voluntas ad eam conuenienter disponatur, requiritur horum desiderium, siue actus spei & amoris Dei, ac peccati detestatio saltem virtualis; requiruntur hi inquam actus, non qualescumque, sed liberi & supernaturales: ut mediæ sint proportionata fini, & similiter in intellectu requiritur cognitio, non qualiscumque, sed tali fini atque actibus voluntatis proportionata, qualis est sola fides supernaturalis, ut homo ea ratione, tam intellectu quam voluntate liberè in Deum tendat, & firmissimè prout res tanta exigit, primæ veritatis, & summæ bonitatis adhæreat.

¹⁰⁰ Cum igitur ex dictis pateat, actum fidei ad dictum finem esse medium ex natura rei conuenientissimum, atque adeò saltem ad bene esse, & ut iustificatio conuenienter modo fiat necessarium: & contra cum baptismus ex se ac ex natura rei nullam cum iustificatione proportionem habeat, sed ex sola Dei institutione sit medium ad hanc conueniens. item cum constet, verba Scripturæ secundum diuersitatem Verba Scripturæ in quam cadunt, diuersimodè & accommodatè rebus de quibus agitur esse intelligenda; manifestè sequitur, verba Scripturæ quæ absolute docent fidem esse necessariam ad iustificationem, intelligenda esse de necessitate mediæ, etsi similia planè verba in materia baptismi solum intelligerentur de necessitate præcepti.

¹⁰¹ Secundò, inter fidem & baptismum magna hac in parte differentia est ex parte verborum Scripturæ. nam ad *Hebræos 11.* absolute dicitur impossibile esse sine fide placere Deo, quod nullibi ita absolute dicitur de baptismo. nam quod *Iohannis 3.* dicitur: *Nisi quis renatus fuerit,* &c. facile mitiorem explicationem admittit, & potest intelligi de necessitate præcepti. Quod exemplis facile potest probari. Nam verè alicui dico, Nisi die Dominico Sacrum audieris, peccabis mortaliter: male tamen ei dicerem, Impossibile est te non audire Sacrum quin pecces mortaliter.

Item Scriptura sæpè innuit aliquem posse saluari, & consequenter iustificari sine baptismo. nam aperte docet omnes Martyres saluandos, non requirens in iis baptismum: item dicit omnes verè amantes Deum aut dolentes de peccatis à Deo diligi, & accipere remissionem peccati. *Prouerb. 8.* *Ego diligentes me diligo.* *Iohan. 14.* *Prouerb. 8.* *Qui autem diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum.* & *I. Iohannis 4.* *Omnis qui diligit, ex Deo est.* & *Ezechielis 18.* & *33.* generatim promittitur omnibus verè penitentibus remissio peccati; nec his locis, etiam in nouo testamēto, vlla fit mentio baptismi. Nec refert quòd etiam non

Aliter fides
necessaria
est, quam
baptismus.

Verba Scripturæ
in quibus ratio
ne maius
de qua agitur
sæpè diuersi-
modè sunt
intelligenda.

Hebr. 11.
Iohan. 3.

Prouerb. 8.
Iohan. 14.
I. Iohan. 4.
Ezech. 18.
& *33.*

non fiat mentio fidei: quia actus caritatis & penitentiae nequeunt, ut iam ostendi, convenienter fieri sine fide, nec Deus dat gratiam ad eos eliciendos necessarium alijs quam fidelibus; atque ita Scriptura supponit elicientes eos actus habere fidem; hitamen actus facile fiunt sine baptismo, quando hic haberi non potest; nec Scriptura potest dici supponere eos, qui hos actus eliciunt, esse baptizatos. Tertio, ex Actorum 10. aperte colligitur Cornelium fuisse iustificatum ante baptismum: nam dicitur

Ad. 10.

vir religiosus & timens Deum, & cum tota domo sua ante baptismum accepisse Spiritum sanctum, qui non datur nisi aut iustificatis, aut simul cum iustificatione: unde aperte sequitur, eius omnes domesticos fuisse ante baptismum iustificatos.

102

Nullibi autem Scriptura vel leuiter insinuat aliquem aliquando fuisse iustificatum, aut potius iustificari sine fide: imò Apostolus ad Hebr.

Hebr. 11.

11. ex eo quod Enoch placuerit Deo, tamquam necessarium consequens infert, eum habuisse fidem, aperte ostendens nullum unquam sine fide Deo placuisse, idque quia sine fide impossibile est placere Deo. Quae vera non essent, si fides ad iustificationem solum esset necessaria necessitate praecepti, quia tunc inuincibilis ignorantia ab ea necessitate excusaret, atque ita intin-

Vga.

cibiliter ignorans res fidei posset sine fide placere Deo, ut vult Vega: & Apostolus ex eo quod Enoch placuit Deo, male inferret, eum habuisse fidem, maleque etiam probaret consequentiam, ex eo quod sine fide sit impossibile placere Deo. Ex quibus omnibus patet, Scripturam longe aliter requirere fidem ut necessariam ad iustificationem, quam baptismum.

103

Trident.

Idem probatur ex Concilijs: nam Trident. sess. 6. c. 7. vocat baptismum Sacramentum fidei, sine quo nulli unquam contigit iustificatio. Et ne forte quis dicat, nullum quidem de facto fuisse iustificatum sine fide, inde tamen non inferri id fieri non posse, c. 8. ex Apostolo docet sine fide impossibile esse placere Deo, aut ad consortium filiorum Dei peruenire, siue iustificari. Idem aperte docet Arausicanum cap. 8. & probat ex illo Iohannis 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Qualia numquam aut Scriptura aut Concilia dicunt de iis, quae solum sunt necessaria necessitate praecepti: cum tam Ecclesia quam Scriptura doceat, multos sine baptismo iustificari, qui tamen in noua lege maxime praeceptus est.

104

Ad primum argumentum positum num. 93. Respondeo Apostolum ibi nullo modo docere, aliquos sine fide totam legem, etiam naturae, seruasse aut iustificatos fuisse. Sed si ibi loquatur, ut multi volunt, de gentibus infidelibus, dicendum est eum non velle hos totam legem naturae seruasse, sed solum aliqua eius praecepta seruasse: nam cum dicatur gentes naturaliter seruare quae legis sunt, si loqueretur de obseruatione totius legis, sequeretur, eas viribus naturae totam legem naturae seruasse. quod Pelagianum est, damnatum à Mileuitano c. 4. & 5. & ab Augustino locis pluribus. Imò aperte repugnat ipsi Apostolo, qui ibidem cap. 1. di-

Coninck de act. supernat.

cit gentes ante fidem Christi maximis sceleribus fuisse implicatas. Et ne forte quis credat hoc non esse accipiendum de omnibus omnino gentibus; cap. 3. ait, Causati enim sumus Iudeos & Gracos (id est gentes) omnes sub peccato esse; sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum: omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Vbi expresse docet, omnes infideles nemine excepto ad peccata declinasse. Alij verò, & forte melius, illum locum Pauli intelligunt de gentibus fidelibus, qui dicuntur naturaliter, id est sine lege scripta (opponit enim ibi Apostolus naturaliter non gratiae aut fidei, sed legi scriptae, in qua Iudaei gloriabantur) obseruasse mandata naturae; atque ita sibi fuisse lex. Vide Vasquez in paraphrasi istius loci.

Qua ratione gentes dicuntur naturaliter facere ea, quae legis sunt.

Ad secundum, nego assumptum. quia si tales cum auxilijs gratiae quae Deus certis temporibus secundum suum beneplacitum ijs sufficientia suppeditat, conarentur quantum moraliter possunt, bene viuere & peccata vitare; Deus ipsos pergeret vterius adiuuare, eaque iis media siue per angelos, siue per homines subministraret, quibus ad fidem, & ita ad iustitiam peruenirent. quod non asseritur sine fundamento; sed aperte colligitur. Primum, ex Scriptura, quae saepius docet, Deum non cupere mortem peccatoris, sed velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et rursum alibi docet, id fieri non posse sine fide. unde inferimus Deum (qui, ut dicitur Iohan. 1. illuminat Ioh. an. 1. omnem hominem venientem in hunc mundum, quantum scilicet est ex parte sua, siue ita ut per ipsum non stet quo minus aliquis illuminetur) tales sua fide illuminaturum, qui ex parte sua impedimentum non ponunt, sed quantum possunt ad hoc se disponunt. Quod potest facere vel per miraculum, si ei placuerit, vel etiam sine miraculo, res ita disponendo, ut illi tandem fidei praedicatores audiant. Secundò, id colligimus ex varijs historijs, quibus partim in Scriptura, Actorum 8. & 10. partim apud alios scriptores narratur Deum saepe extraordinario aut etiam miraculoso modo procurasse, ut tales fidei praedicationem audirent.

105

CONCLUSIO II. Ad iustificationem necessaria est fides supernaturalis ex parte obiecti, siue quae feratur in obiectum, quod solo natura lumine, siue diuina reuelatione cognosci nequeat. Est communis Catholicorum. Et probatur Primo, quia fides theologica necessarium nititur obiecto formali supernaturali, scilicet testimonio siue reuelatione Dei. Secundò, quia, ut docet Apostolus ad Hebraeos 11. ut placeamus Deo, necessaria est fides qua credamus Deum esse remuneratorem iis qui ipsum inquirunt. Quod (ut patet ex varijs locis, totoque contextu illius capituli) intelligendum est de remuneratione supernaturali quam fideles post hanc vitam sperant: de qua ex Isaia 64. 1. ad Corinth. 2. dicitur, 1. Cor. 2. Oculis non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quae preparauit Deus diligentibus se. Vbi aperte significatur, hanc remunerationem non posse naturaliter cognosci.

106

Hebr. 11.

Y 2

Cqn.

Constat, quia Apostolus loco supra citato docet, impossibile esse placere Deo sine fide; de qua ante dixerat, eam esse substantiam rerum sperandarum, & argumentum non apparentium, quæ scilicet post mortem accepturi sumus, & hic cognoscere naturaliter non possumus: unde ibidem, præsertim v. 15. docet, omnes sanctos, qui olim in fide excelluerunt, defuisse terrena & præsentia, ut cælestia, & a cognitione nostra remota consequerentur.

107

Trident.

Arausic.
August.
Iohan. 6.

CONCLUSIO III. Fides ad iustitiam necessaria debet esse supernaturalis ex parte sui principij, siue proficiat ab auxilio Dei supernaturali. Est etiam communis Doctorum, & aperte definita in Trident. sess. 6. can. 3. vbi dicitur anathema ei, qui dicit nos viribus naturæ sine Dei auxilio posse credere, sperare, &c. prout requiritur ad iustificationem. Idem definitur in Arausic. c. 5. & sæpissimè docet S. Augustinus contra Pelagianos; & aperte habetur Iohan. 6. vbi dicitur, *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Vbi Christus agit de accessu per fidem, ut aperte patet ex adiunctis.

108

Turrian.

CONCLUSIO IV. Per absolutam Dei potestatem fieri potest, ut quis sine fide supernaturali ex sola cognitione naturali (qua naturæ lumine cognoscit Deum super omnia amandum); & ex fide humana (qua credit viris fide dignis, à quibus audiuit Deum contritis remittere peccata, & bene viventibus promittere vitam æternam) per auxilium Dei speciale, quo voluntas eius adiuuetur, veros actus spei, caritatis ac cognitionis supernaturales eliciat, ac ita se ad iustificationem disponat. Ita plures viri docti, quos tacito nomine citat Turrian. 2. 2. q. 25. dub. 3. Et eandem, ut consequenter loquantur, necessitatem tenentij, qui docent actum supernaturalem & naturalem posse versari circa idem obiectum formale. quos citavi disp. 5. dub. 3.

Probatur Primò, quia nulla vel apparens potest ostendi implicantia ob quam id fieri nequeat, ut patebit ex solutione argumentorum: ergo hoc non est diuinæ potentie negandum.

Secundò, quia, ut patet in hæreticis, potest quis, præsertim posita Dei reuelatione, naturali cognitione, siue fide humana cognoscere siue credere Deum esse summè diligendum, peccata esse detestanda, & vitam æternam nobis bene operantibus promissam, id quæ planè constanter ac firmiter, præsertim si eius voluntas diuina gratia adiuuetur. Item poterit voluntas eius ea cognitione excitari ut Deum tanti boni fontem aliquo modo diligit, & peccatum oderit, ac illa bona à Deo speret (nam videmus aliquos hæreticos sine fide supernaturali, firmiter dicta credere, & sibi æternam salutem firmiter promittere); quare si Deus specialiter eum eius voluntate concurrat, illi actus erunt perfecti & supernaturales.

109

Actus intellectus naturalis & supernaturalis reddunt obiectum voluntati æqualiter appetibile.

Tertiò, quia ideo præcisè actus intellectus est absolutè prærequisitus ad volendum, quia voluntas nequit ferri in obiectum, nisi perceptibiliter ei proponatur; atqui siue obiectum aliquod voluntati proponatur fide naturali siue supernaturali, æqualiter est nobis perceptibile, & æqualiter voluntas commouetur: ergo si ex

parte sua æquale habet auxilium, æquales in vitroque casu actus poterit elicere.

Minor probatur: quia aliàs ex diuersa perceptione obiecti, ac motione voluntatis possemus ipsa experientia percipere nos habere fidem supernaturalem; & hunc actum clarè distinguere à fide naturali: quod experimur esse falsum. Quare quòd fides aut cognitio naturalis dicitur improporcionata ad elicendum actum voluntatis supernaturalem, non est intelligendum ei deesse proportionem physicè & ex naturæ rei necessariò requisitam: sed accipiendum est de proportionem moraliter, & ad decentem conuenientiam requisita, quia scilicet, ut dixi nu. 99. omnino conuenit, ut homo ad finem supernaturalem tendat actibus tam ex parte intellectus quam voluntatis supernaturalibus: ideoque Deus firmiter statuit ne hoc aliter sufficienter ad salutem obtinendam fiat; nec enim est vlla ratio quæ aliud probet.

Ad primum argumentum positum num. 94. nego assumptum; nam ad veritatem illius dicti sufficit sine fide placere Deo esse impossibile ex decreto Dei, quod sufficienter ex Scripturis colligimus, ut patet ex dictis.

Ad secundum, nego antecedens: ut patet ex dictis n. præcedenti.

Ad tertium, nego maiorem. Ad prob. nego assumptum: nam ut firmiter aliquid sperem, non est omnino necessarium ut id planè infallibiliter siue modo omnino infallibiliter cognoscam: sed sufficit quòd id firmissimè credam, ut patet in hæreticis, qui firmissimè sibi promittunt vitam æternam, quam tamen modo ex se fallibili cognoscunt. Nec refert, quòd hæc spes sit falsa; quia hoc non fit, eò quòd eorum cognitio sit ex se fallibilis, sed quia fundamentum, quo eorum spes nititur, est falsum. In casu autem conclusionis nostræ etiam fundamentum illius spei fortè cognitione fallibili cognoscitur, tamè ipsam in se esse verissimam ac certissimam. Adde, si talis crederet Deum nobis illa promississe, quia clarè videt Ecclesiam hoc docere, eius cognitionem fore omnino certam; nam niteretur Ecclesiæ doctrinam euidenter cognita, quæ fallere non potest.

D V B I V M IX.

Quenam necessariò necessitate medijs explicite credenda sint, ut quis possit iustificari?

DEiis, quæ necessariò nobis credenda sunt agit D. Thom. 2. 2. q. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. docet, quæ nos tenere explicitè credere ea, per quæ efficiamur beati, scilicet tam obiectiuè (qualia sunt ea ad quæ necessariò terminatur visio beatifica) quam effectiuè (qualia sunt merita Christi & gratia Dei); sed ipse non agit illis articulis de illis solis, quæ necessariò necessitate medijs credenda sunt, sed etiam de ijs, quæ ex præcepto credenda sunt; nos autem hic agimus de solis prioribus, de alijs autem dubio sequenti agemus.

Ut autem distinctius procedamus, Notandum est Primò, nos id explicitè credere, quod secundum se distinctè cognitum particulatim credimus: implicitè verò credimus id, quod

Intellectus naturalis siue sensum rationem est improporcionata voluntati siue naturali.

110

112. Quæ dicuntur explicite credenda, quæ implicitè.